



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

474. An confirmari possit dignus, præterito digniore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Questio 473. An confirmator cassare possit electionem digni legitime factam?

1. **R**espondeo: confirmatorem id per se loquendo non posse. Pass. n. 134. ubi expressè ait: evidenter falsum est, in confirmatoris potestate esse, confirmare, vel cassare electionem, sicut liberum est Electoribus eligere, quem volunt, cum ex iustitia confirmator teneatur confirmare electionem canonicam digni; & n. 135. ubi; inter confirmatorem & Electorem hæc est diversitas; quod elector per se validè quomodolibet quemlibet dignum excludit ab electione, nisi per accidens in casu, ubi unus solus est dignus, & quilibet alius indignus; confirmator autem per se nullum validè excludit à confirmatione, sed solum per accidens ex extrinseca urgentissima causa. Idque, ut Idem habet n. 134. quia elector nihil positivum facit contra non electum, sed negativè se habet circa illum ex plenissima libertate non coarctabili non eligens, quem iudicat non eligendum; cum non electus non habeat jus, ut eligatur; confirmator verò positivè electionem cassat, & contra jus electorum & electi agit; de quo vide dicenda *quest. seq.*

2. Potest nihilominus electionem digni undequaque validam ex causâ rationabili per accidens ob bonum commune cassare, Pass. num. 136. citans Bannez. 2. 2. q. 67. a. 2. ad 2. cum communi; quia Prælatorum munus est, ut boni communis rationem habentes, utilitatem publicam præferant privatæ. Pass. *ibidem* juxta c. bona. de postul. & ibi Gl. v. communem. Abb. n. 11. Et sic ratione scandali vitandi electio aliâ valida non est confirmanda, Pass. cit. n. 136. citans Abb. in c. 1. de elect. n. 8. Seraph. decis. 516. n. 4. Felin. in c. 2. de præscript. n. 2. Peyr. in formular. lit. c. c. 18. num. 6. Donat. p. 2. tr. 7. q. 6. item plures textus juris.

Questio 474. An confirmari possit dignus, præterito digniore?

1. **R**espondeo non solum posse, sed & debere confirmari dignum, seu electionem digni aliâ validam, etiam ubi prætermisus est dignior. Pass. de elect. c. 33. n. 166. & 137. ubi expressè ait: confirmator per se nullum dignum electum validè excludit à confirmatione; sed accidentali causâ rarissimè occurrente; quia cum ex c. postquam. de elect. aliis que iuribus confirmator teneatur electionem digni confirmare, si aliter facit, contra legem facit, & ideo cassatio ab eo facta, juxta reg. que contra jus. de reg. juris in 6. pro infecta haberi debet & cassari. Donat. rom. 2. tr. 7. q. 8. n. 1. & 2. citans Bannez. 2. 2. q. 63. a. 2. dub. 3. ad 7. Cajetan. in sum. v. electio. Covar. in reg. peccatum. p. 2. §. 7. n. 4. Rodriq. in sum. p. 1. c. 106. concl. 11. n. 13. Ratio responsionis est, quod licet electores eligere teneantur meliorem, peccentque mortaliter non eligendo digniorem; de quo vide fusè agentem Pass. c. 30. de elect. valida tamen sit electio digni, omisso digniore, pro quo Pass. cit. n. 166. citat D. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. & *ibid.* Bann. Cajetan. Aragon. Abb. in cap. constitutus. de appellat. n. 7. & *ibid.* Franc. n. 4. Imol. & Praposit. num. 16. Paris. de resign. l. 4. q. 11. n. 40. Nav. cons. 21. de simon. Gonz. ad reg. 8. Cancell. gl. 4. n. 129. Barbof. ad c. cum nobis. de elect. n. 3. Covar. in reg. peccatum. §. 7. nu. 4. Rotam in Eugub. paroch. 13. Jan. 1623. & plurimos alios. Ita etiam, ut hoc verum sit, etiam si electores jurassent, se velle eli-

gere digniorem; quin &, si fieret statutum, quo statueretur, ut non valeat electio digni, omisso digniore, illud tanquam contrarium juri communi non valeret, nisi confirmaretur à Papa. Pass. cit. n. 166. Unde jam confirmator ex iustitia teneatur confirmare dignum ritè electum etiam prætermisso digniore; & si secus faceret, gravaret electum dignum, utpote qui ex tali electione jus acquisivit ad Prælaturam; adeoque à tali injusto gravamine appellare potest ad Superiorem. Donat. loc. cit. citans Castell. de elect. c. 14. n. 17.

2. Limitat tamen responsionem Donat. loc. cit. n. 4. ut ea procedat secundum jus commune; ait enim, quod si jura particularia statuisent (ut asserit fieri in suo Ordine) confirmatorem posse cassare electionem digni, si viderit digniorem prætermisum, id possit confirmator; modò evidenter constet relictum esse digniorem; aliâ ad evitandas lites & contentiones melius sit, confirmare electionem digni, prout jure cautum est.

3. Quod si tamen confirmatori proponantur plures electi, tenetur sub mortali confirmare digniorem ex illis; eò quod tunc electoris, qui in conscientia tenetur eligere digniorem, & confirmatoris vices gerat. Donat. loc. cit. n. 6. citans Ledem. in sum. p. 2. tr. 7. c. 2. concl. 7. dub. 7. Armill. v. electio. n. 2.

Questio 475. An confirmari possit infamis infamiâ facti; quia nimirum inquisitus aut accusatus de gravi crimine, & de eo apud viros graves diffamatus?

1. **R**espondeo primò: ex quo electus apparet infamis simplici infamiâ facti, non statim debet aut potest cassari ejus electio, seu rejici à confirmatione; non enim est eadem ratio de electione, ad quam electus nullum jus habet, & de confirmatione, ad quam electus vi electionis jus habet, & privatur jure suo, si non confirmetur; unde si ex libertate eligentium non eligatur, nulla ei fit injuria, secus, si sine ratione non confirmetur; adeoque ex quo electus apud confirmatorem apparet infamis simplici infamiâ facti, datur locus ad inquirendum, non ad statim illum condemnandum; & sicut ex eo, quod apud confirmatorem sit accusatus, is non potest cassare electionem, ita nec id potest ex hoc, quod sit accusatus apud alium Judicem, vel alios viros graves, sed debet inquirere (nempe vel in judicio contradictorio, seu instante adversario, vel ex officio confirmatoris) in veritatem delicti, juxta c. nihil. & c. si forte. de elect. in 6. Ita ferè Pass. de elect. c. 33. n. 118.

2. Respondeo secundò: quod si confirmator, habitâ inquisitione invenit infamiam à malevolis aut levibus personis ortam, nec habere fundamentum, unde verè non sit realis, ut privet electum estimationem viri probi apud probos ac graves viros, nec ejus idoneitatem dubiam reddat, danda est confirmatio, nisi fortè scandalum aliquod grave timeatur; non obstante de cetero, quod hæc infamia sit deducta per accusationem ad tribunal Judicis alicujus confirmatore non superioris; eò quod multò majus sit, quod accusatus apud talem Judicem habitâ inquisitione, etiam extrajudiciali, inveniatur à confirmatore innocens, seu infamia talis, quæ tanquam orta à malevolis, non sit attendenda, quàm si hoc sciatur à solis privatis; adeoque debet confirmari, etiam pendente ibi istiusmodi